

supernaturalium, et elevare ipsam naturam per modum naturæ ad statum supernaturalem. Vel secundo dicitur, quod licet communiter attribuantur aliqui effectus gratiæ et charitati, sed non eodem modo, gratiæ ut principio radicali, et charitati ut proximo et formali, vel etiam tamquam dispositioni ultimæ, quæ fit per actum charitatis, et contritionis.

XI. Dices : Si separentur gratia et charitas (quod fieri potest de potentia absoluta) quomodo verificabitur quod habens gratiam sine charitate sit amicus Dei, vel quod habens charitatem sine gratia sit gratus, et acceptus Deo, respondetur quod in tali casu habens gratiam sine charitate dicitur amicus Dei radicaliter et remote, quia habet gratiam cui tamquam radici debetur principium proximum diligendi Deum, quod est charitas; sicut homo sine potentia visiva, vel sine risibilitate diceretur radicaliter risibilis, non formaliter. Si autem haberet charitatem sine gratia diceretur gratus Deo dispositive secundum ultimam dispositionem, non formaliter per formam intimam connaturaliter sanctificantem, ex voluntate tamen extrinseca Dei diceretur homo ille justus quantum ad remissionem peccati, quia jam habet ultimam dispositionem ad istam remissionem ex voluntate Dei, licet quoad entitatem careat informatione gratiæ.

XII. Ad primam confirmationem patet solutio ex dictis, quia non negamus fidem et spem esse habitus infusos secundum substantiam, sed dicimus manere informes, et sine statu, et modo virtutis quando sunt sine gratia; sufficit autem ad probationem D. Thomæ, quod isti habitus distinguuntur, quia virtutes sunt et connaturali modo existendo pe-

tunt habere statum virtutis. Ad ultimum respondetur, quod peccatum est in voluntate quantum ad actum, quando committitur, sed quantum ad effectum est in essentia animæ, et non solum in potentiis, scilicet quantum ad maculam, quæ in essentia animæ ponitur, ut patet in peccato originali quod in ipsa essentia animæ subjectari docet S. Thomas 1-2, quæst. LXXXIII, articulo II, nec dubitari potest, quod licet voluntas peccet tamquam principium quo operandi, tamen etiam ipsa anima ut principium radicale peccat, et obliquatur a fine : unde licet charitas opponatur peccato quatenus est in voluntate, gratia tamen opponitur illi prout radicaliter est in anima.

XIII. Ex dictis colliges contra Vega libro VII in Concilium Tridentinum, cap. xxv, gratiam simpliciter loquendo perfectiorem esse charitate, quia continet illam radicaliter, sicut propria passio in essentia. Quando autem Apostolus enumerans charismata gratiæ dicit : *Major autem horum est charitas*, ibi comparat charitatem ad alias virtutes secundum se, non respectu gratiæ, quæ non est virtus, sed radix omnium virtutum in esse supernaturali. Nec enim obstat, quod dicatur charitas inveniri in Deo et non gratia, quia charitas quæ invenitur in Deo est increata, quæ utique est præstantior gratia nostra. Loquimur autem de charitate creata quando dicimus esse imperfectiorem gratia, invenitur autem gratia increata, non quidem sub nomine gratiæ, quia nihil increatum est gratuitum, sed sub conceptu divinæ naturæ, cujus gratia est immediata participatio, ut notat D. Thomas articulo secundo ad secundum, divina autem natura super omnia est.

QUÆSTIO CXI.

DE DIVISIONE GRATIÆ.

In articulo primo inquit D. Thomas utrum convenienter dividatur gratia per gratiam gratum facientem, et gratis datam. Respondet conclusione affirmativa: Quod hæc divisio est conveniens, et nomine gratiæ gratis datæ intelligimus illa dona quæ dantur homini non ut ipse justus sit, sed ut cooperetur ad justificationem aliorum : nomine vero gratiæ gratum facientis intelligimus illud donum, quo homo in se justus est, et Deo conjungitur.

In articulo secundo, inquit D. Thomas utrum gratia convenienter dividatur in gratiam operantem, et cooperantem. Respondet triplici conclusione. Prima est: Hæc divisio potest dari de gratia tam actuali, quam habituali, alio tamen et alio modo. Secunda conclusio: Si sumatur hæc divisio in genere gratiæ actualis, gratia operans dicitur illa operatio, in qua solum movetur mens a Deo, non autem movet se ipsam, et quia iste actus est principium ad alios, dicitur actus interior; actus autem ab isto causatus, et motus dicitur exterior, quasi extra illum priorem, gratia autem cooperans dicitur illa operatio, seu concursus Dei, in quo voluntas se movet ex deliberatione, et non solum est mota.

Tertia conclusio: Si ista divisio sumatur in genere gratiæ habitualis, gratia operans, et cooperans est idem habitus gratiæ secundum diversa officia, nam ut exercet genus causæ formalis justificando et sanando, dicitur operans, ut autem est principium actuum meritorum in genere causæ effectivæ, dicitur cooperans, quia cum libero arbitrio efficit.

In articulo tertio, inquit sanctus doctor utrum convenienter dividatur gratia in prævenientem, et subsequentem. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Ista divisio accipienda est sicut divisio in operantem, et cooperantem penes diversos effectus. Secunda conclusio: Quinque sunt effectus gratiæ, quorum unus præcedit alium. Primus, sanare animam : secundus, ut velit bonum : tertius, ut illud quod vult efficaciter operetur : quartus, ut in eo perseveret : quintus, ut glorificetur, et gratia secundum quod causat primum effectum est præveniens, ut causat secundum est subsequens, et sic potest dici præveniens, et subsequens respectu diversorum.

In articulo quarto, inquit sanctus doctor utrum gratiæ gratis datæ sufficienter numerentur ab Apostolo. Respondet unica conclusione affirmativa. Est autem hæc littera S. Thomæ valde elegans explicando ea, quibus instrui debet supernaturalis doctor, cum enim gratiæ gratis datæ ordinentur ad instructionem aliorum fidelium, et ædificationem Ecclesiæ, quod non potest fieri nisi dicendo, et persuadendo; ideo istæ gratiæ sunt illa dona, quibus debet esse instructus doctor Ecclesiæ in rebus supernaturalibus ad ædificationem fidelium, quæ sunt tria. Primo, in ordine ad se ut habeat plenitudinem cognitionis divinarum : secundo, in ordine ad ipsam veritatem, ut possit illam efficaciter probare : tertio, in ordine ad audientes, ut possit eis competenter proferre suos conceptus; et quantum ad primum enumerantur ab Apostolo tria dona, scilicet fides, sapientia, et scientia; fides quidem secundum quod in principiis fidei accipit homo

quamdam specialem intelligentiam, et adhæsiõnem ad res fidei, quæ communiter non habetur : sapientia ut recte se habeat circa principales conclusiones de rebus divinis : scientia vero ut recte se habeat circa cognitionem rerum inferiorum. Quantum ad secundum datur homini operatio virtutum, ut miraculis confirmet veritatem : secundo, prophetia, ut possit manifestare ea quæ solus Deus novit, ut futura : tertio, discretio spirituum, ut possit interiora hominis discernere. Quantum ad tertium datur homini donum linguarum, ut possit ab omnibus intelligi etiam in diversis figuris ; et interpretatio sermonum, ut convenienter aperiat sensum eorum, quæ dicit. His donis instruxit Apostolos Spiritus sanctus in die pentecostes, eosque fecit doctores supernaturales.

In articulo quinto, inquit D. Thomas utrum gratia gratis data sit dignior, quam gratia gratum faciens. Respondet unica conclusione : Dignior est gratia gratum faciens, quia immediate nos conjungit Deo.

DISPUTATIO XXIII.

DE GRATIA ACTUALI, EJUSQUE DIVISIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit gratia operans, et excitans ?

I. Non agimus de gratia operante habituali, sed actuali, et ut pertinet ad auxilium, non ad sanctificationem, et ita non explicamus quid sit in gratia habituali esse operantem, et cooperantem, id enim sufficienter in littera D. Thomæ explicatum est, dicitur enim gratia habitualis operans, prout consideratur præcise ut dans effectum in genere causæ formalis : cooperans autem ut est principium operandi in genere causæ effectivæ, tamquam principium quo.

II. Nec possumus hic occupari, ut aliqui faciunt in explicando quid sit, et in quo consistat gratia actualis, loquendo in communi, id enim explicatione divisionum gratiæ melius constabit. Pro quo nunc sufficit supponere, quod nomine gratiæ actualis intelligimus effectum Dei, quo concurrat nobiscum, vel auxiliatur ad operandum, non imprimendo aliquid permanens, et per modum

habitus, sed per modum transeuntis tamdiu durans, quamdiu operatio, et sic explicari solet per modum motionis, vel qualitatis transeuntis, vel concursus, et auxilii : sicut e contra gratiam habitualement intelligimus illam, quæ datur modo permanenti, sicut habitus, vel virtus, quæ est qualitas quædam completa, et perfecta in nobis. Itaque actualis gratia in modo essendi sequitur legem, et modum ipsius operationis, quia cum illa transit, et cessat : gratia autem habitualis sequitur modum potentiæ, quia datur per modum principii, et virtutis, nec tamen negamus quod gratia actualis prævia, et auxiliativa recipiatur in potentia, sicut etiam ipsa operatio, et actus, sed recipitur solum quamdiu durat operatio. Fatemur etiam quod aliquando imprimatur virtus, seu principium operandi in potentia per modum transeuntis, et per modum auxilii actualis, quia non repugnat qualitatem, et habitum reperiri in subjecto non per modum permanentis, nec secundum statum habitus, sed transeunter, et ad modum dispositionis, seu passionis, sicut virtus quæ nondum perfecta est in subjecto, nec consummate acquisita, de quo in capite de qualitate, quæstione xviii dictum est a nobis.

III. His suppositis pro constanti

tenendum est, quod gratia operans pertineat ad aliquem motum voluntatis, quem Deus in nobis sine nobis operatur ; sic enim inquit Augustinus libro de gratia et libero arbitrio, capite xvii, a quo theologi acceperunt hanc gratiæ acceptionem : « Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens : » et infra : « Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur ; » et inde videtur sumpsisse D. Gregorius papa, qui dixit xvi moralium, cap. xi : « Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum. »

IV. In tribus autem invenitur difficultas non parum confusa inter auctores. Primum, quid sit ille motus, seu effectus Dei qui dicitur gratia operans : secundum, quid sit illud operari in nobis sine nobis : tertium, an distinguatur gratia operans, et excitans, vel sint unum et idem.

V. Circa primum multiplex, et varia sententia est doctorum, quas si percurramus, magna redderetur confusio, et prolixitas, sed tamen reduco illas ad tria placita sententiarum. Prima est eorum, qui constituunt gratiam operantem in aliquo actu nostro a nobis effecto, et elicitio : secunda eorum, qui constituunt gratiam operantem in aliqua applicatione facta a Deo, seu qualitate impressa, quæ nos applicat ad operandum : tertia est eorum, qui constituunt hanc gratiam in aliqua sublevatione potentiæ ad eliciendos motus subitos, et indeliberatos, quæ sublevatio constituit potentiam quasi in actu primo ad illos eliciendos, non tamen est ali-

quid inhærens realiter potentia, sed solum subordinatio extrinseca ad Deum, qui nobis immediate unitur in ratione moventis, et applicantis efficaciter. Hæc ultima sententia est magistri Curiel super hanc quæstionem tractatu de gratia actuali, dubio ii, §. vi. Secunda vero sententia est Gregorii in iii, distinct. xxvi, quæst. i ad duodecim.

VI. Prima vero sententia, quæ satis communis est, dividitur in varias explicationes secundum diversas considerationes actus nostri a nobis elicitio, et effectio. Quidam enim intelligunt nomine actus nostri, in quo consistit gratia operans, omnem actum, qui præcedit justificationem nostram etiamsi deliberate fiant, actus autem qui sequuntur post justificationem dicunt pertinere ad gratiam cooperantem. Quæ sententia attribuitur Molinæ in concordia ad quæstionem xiv, art. xiii, disput. iv : alii intelligunt nomine actus nostri, qui est gratia operans, illum actum qui est intentio, vel simplex voluntas, quia primo volumus, seu intendimus bonum, electionem vero, et reliquos actus postea ordinatos ad finem intentum, in quibus voluntas se movet, et deliberate procedit esse gratiam cooperantem. Hæc attribuitur Cajetano, et Soto a magistro Curiel ubi supra, sed male ut postea dicam : alii dicunt gratiam operantem esse actum nostrum internum, cooperantem vero externum. Ita attribuitur Durando in ii, dist. xvi, quæst. iii, memb. iv, et tandem attribuitur Montesinos hic disp. xxxi, q. ii, Cajetano, Medinæ, D. Antonio et aliis expositoribus, intelligitque nomine actus interni actum voluntatis imperantem ; nomine autem externi, actum extra voluntatem imperatum : alii dicunt gratiam operantem esse actum indeliberatum ex parte intellectus, id est, piam et sanctam

cogitationem, qua subito illustratur intellectus, et per illam afficitur voluntas, et sic mediante illa cogitatione operatur Deus ea quæ pertinent ad nostram conversionem, vocando, suadendo, atque alliciendo voluntatem. Ita Vazquez 1 p. disp. LXXXVIII, cap. VI et VII, idque repetit 1-2, disp. CLXXXV, c. IX; imo Vazquez omnem gratiam actualem reducit ad sanctam cogitationem, cui subscribit Montesinos loco citato, §. VI.

VII. Nihilominus resolutio nostra est, gratiam operantem internam non consistere in sola subordinatione extrinseca ad Deum, sine aliquo impresso, et immutante potentiam; neque formaliter consistere in aliquo actu nostro a nobis elicitio, sive deliberato, sive indeliberato, sive sit intentio, sive ex intentione secutus, sive ante justificationem, sive post; neque in sola cogitatione, etiam si sit talis ut ex vi illius sequatur aliquis affectus in voluntate, sed gratia operans consistit in duplici motione Dei, qua ipse solus movet, et tangit duplicem potentiam ordine quodam, intellectum quidem per illustrationem subitam, quæ causatur ex illa motione. Itaque illustratio non est formaliter gratia operans, sed effectus illius, causata ab intellectu ex illa motione Dei: deinde vero motio Dei tangit voluntatem, et causat subitum affectum ad objectum propositum per illustrationem intellectus, et talis motio, seu inspiratio est illa quæ aperit cor, sicut dicitur Actor. XVI, de illa purpuraria: *Cujus Deus aperuit cor intendere his, quæ a Paulo dicebantur*. Et hæc motio in voluntate dicitur physica, seu realis, ad distinctionem motionis moralis, quæ solum ex parte objecti allicientis, et metaphoricè moventis se tenet, quamvis hanc motionem objecti etiam requiri dubium non sit. Et dixi in initio

conclusionis gratia operans interna, ut excludatur ea, quæ externa est, et procedit a speciali protectione Dei providente ne insurgat aliquid dejiciens hominem a gratia. Et hoc modo bene intelligitur, quomodo gratia operans sit a solo Deo, et non a nobis, quia ista impedimenta extrinseca sæpe non subjacent potestati nostræ, sed solius Dei, verbi gratia quod non occurrat objectum quod avertat a Deo, vel occurrat objectum quod delectet de Deo, quod utique non est in potestate nostra, ut dicit Augustinus libro primo ad Simplicianum, quæstione secundæ circa finem. Unde talis gratia operans extra controversiam est quod ad solum Deum pertineat, tamquam protectio quædam providentiæ ejus.

VIII. Hæc sententia elicitur ex S. Thoma hic art. II, adjuncta expositione Cajetani, et communior est inter Thomistas, nam licet sint divisi in explicanda gratia præveniente efficaci in quantum præveniens est et antecedens consensum liberum, quod aliqui existimant hanc gratiam prævenientem esse ipsos motus indeliberatos, qui præcedunt deliberatos, et mediantibus illis Deus movet voluntatem ut deliberate consentiat. Alii vero existimant hanc gratiam prævenientem non esse ipsos motus indeliberatos, qui a voluntate eliciuntur, sed esse aliquid impressum a Deo voluntati per modum qualitatis transeuntis, seu motionis qua Deus movet, et prævenit voluntatem ut eliciat illum consensum (de quo postea dicemus) tamen respectu illius primi motus indeliberati conveniunt, quod datur a Deo aliqua qualitas per modum transeuntis, qua fiat motus indeliberatus. Hoc etiam tenent illi qui gratiam prævenientem, et prædeterminantem ad consensum liberum constituunt in motibus indeliberatis, ut constat apud Joannem Gonzalez 1 p.

disp. LVIII, sect. III, §. Tertio dico. Cum autem gratia operans pertineat ad primum actum voluntatis, ut ex D. Augustino supposuimus, non consistit gratia ista formaliter in ipso actu a nobis elicitio, sed in ipsa motione Dei, quæ datur ad eliciendum illum actum.

IX. Fundamentum hujus est quod præ oculis maxime habendum est in hac materia, scilicet non posse dici auxilium Dei internum (de quo hic loquimur) illud quod est effectus creaturæ, sed quod est actio immediata Dei: licet enim verum sit quod multi effectus creaturarum ut conducunt ad nostram justificationem, etiam inter auxilia externa computanda sint, et disponere de illis pertineat ad providentiam Dei auxiliantem, tamen illud quo voluntas a Deo agitur, et concursus quo Deus immediate causas inferiores movet, non potest esse effectus, vel operatio causæ creatæ quantumcumque requiratur ad id quod faciendum est, motus vel effectus alicujus causæ creatæ; hoc enim nihil aliud est, quam inter ipsos effectus creatos unum requiri ad aliud, sicut requiritur motus cæli ut moveantur hæc inferiora, non tamen actio cæli potest dici quod sit auxilium, et concursus Dei. Similiter quia voluntas, et intellectus moventur de uno in aliud, verbi gratia a præmissis ad conclusiones, a fine ad media, prærequiritur ad unum actum quod præcedat alius, verbi gratia, ad assentiendum conclusioni quod præcedat assensus præmissarum; ad elicientiam mediorum quod præcedat intentio finis, non tamen assensus præmissarum potest dici concursus Dei ad conclusiones assentiendas; non ergo operatio, seu effectus creaturæ, licet prærequiratur ad aliquem alium effectum potest dici concursus, seu auxilium Dei.

X. Confirmatur, quia concursus actus intentionis in electionem, vel actus indeliberati in liberum, vel præmissarum in conclusionem, est concursus, et influentia cujusdam causæ particularis et creatæ, quia est ab anima, et a potentia ejus elicitio, ergo non est formaliter concursus causæ primæ, et universalissimæ; ergo alio concursu distincto concurrat Deus quam sit ille actus elicitio ab anima, quicumque ille sit; sicut alio concursu concurrat sol ad generandam herbam, alio Deus, quia concursus Dei est universalior quam solis, vel quam quæcumque operatio, seu effectus causæ creatæ; ergo non potest auxilium, seu concursus divinus consistere in aliquo actu, seu operatione causæ creatæ formaliter. Et hoc urgentius procedit in gratia operante, quia gratia operans debet habere aliquem effectum sine nobis, id est, sine nobis deliberate consentientibus, licet non sine nobis elicientibus. Inquiri ergo quid sit ille effectus quem habet nobis elicientibus, et non poterit assignari alius, quam ille actus indeliberatus nam si ultra habet alium effectum qui deliberatus sit, jam respectu ejus requiritur gratia cooperans, et non sufficit solum operans, ergo id quod nos respicimus pro effectum non quidem deliberate consentiendo, sed tantum eliciendo, etiam gratia operans respicit pro effectum, si quidem aliquem effectum habet nobis etiam elicientibus: sed a nobis elicitio ille actus indeliberatus; ergo etiam a gratia operante tamquam effectus ejus; ergo non potest gratia operans consistere formaliter in tali actu si non habet illum pro effectum; ergo nec formaliter consistere in illo.

XI. Ex quo principio manet impugnata quæcumque sententia constituens gratiam operantem etiam in actibus deliberatis, in quibus homo